tuum adfuerim; deinde ut vel uno verbo significes, num mansuetudini tuæ placeat, ut in crastinum diem, horâ octavâ, vultum tuum intuear et manus tuas sanctissimas exosculer. Ita Vale feliciter MDCLXIX.

Roberto Keuchenio.

Jcto. Philologo Eximio. 412.

Veni ad jucundissimas tuas literas, non quidem oblivione tui captus, sed molestis quibusdam negotiis turbatus et vexatus, quæ etsi minus fuerint gravia tamen eam vim habuerunt, ut me à scribendo averterent. Dabis igitur veniam, Keucheni suavissime et ignosces cunctationi meæ, si quid eâ peccatum est. Carmen tuum quo exitum Principis descripsisti, magna cum aviditate sæpius legi et laudavi Clarissimum tuum ingenium quod tam feliciter et generosè versum calcat. Reddidissem tibi pöema, si animo tranquillo et integro fuissem, nunc curis aulicis plenus, et ... confusus, non potui ad carminis tranquillitatem confugere. Melius ille fumet voces à plebe summotas, et versum decoris pedibus includet, cujus animus à spe metuque et ambitione requiescit. De panegyrico tuo tecum colloqui cupio priusquam illum Serenissimo Electori exhibeas. Quod si crastino die tibi opportunum esset, invisere me, invisere Bibliothecam Principis, spectare grande illud Patris Dionysii domicilium, et lustrare hortum, lubens te expectarem. Vale

Eidem. 413.

Multum atque magna diligentiâ hodie Cluverium evolvi, et locum illum, quem abs me describi cupiisti, nequaquam investigavi. Neque enim liber ille octavus, quo cum exstaret perscribis, in toto illo antiquitatis ope reperitur. Itaque cum omnia fermè capita percurrerem, incepi tandem libro 3. hæc verba. Cæsis quippe CCC millibus, qui Romanum occupaverant solum reliquos ultra Nicrum fluvium et Albim removit